

numen aquis, uiridi si margine clauderet undas  
herba nec ingenuum uiolarent marmora tofum. 20

Hic tunc Vmbricius : « Quando artibus, inquit, honestis  
nullus in Vrbe locus, nulla emolumenta laborum,  
res hodie minor est here quam fuit atque eadem cras  
deteret exiguis aliquid, proponimus illuc  
ire, fatigatas ubi Daedalus exuit alas. 25

Dum noua canities, dum prima et recta senectus,  
dum superest Lachesi quod torqueat et pedibus me  
porto meis, nullo dextram subeunte bacillo,  
cedamus patria. Viuant Artorius istic  
et Catulus, maneant qui nigrum in candida uertunt, 30  
quis facile est aedem conducere, flumina, portus,  
siccandam eluuiem, portandum ad busta cadauer,  
et prabere caput domina uenale sub hasta.

Quondam hi cornicines et municipalis harenae  
perpetui comites notaeque per oppida buccae 35  
munera nunc edunt et, uerso pollice uulgus  
cum iubet, occidunt populariter; inde reuersi  
conducunt foricas; et cur non? omnia cum sint  
quales ex humili magna ad fastigia rerum  
extollit quotiens uoluit Fortuna iocari. 40

Quid Romae faciam? mentiri nescio; librum,  
si malus est, nequeo laudare et poscere; motus  
astrorum ignoro; funus promittere patris